



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 2. Lapis ad voluentem reuertens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

insidijsque plerumque comprehenditur, iisdemque artibus, quibus alijs nocere cogitat, sibi perniciem consciscit. Quod passim contingit ijs, qui volunt esse architecti fraudum & insidiarum; decipientes enim decipiuntur, vt Herodi cum Magis fallaciter agenti contigisse scribens Petrus Chrysológus ait: *Fremitt dolositas se deceptam, & in se fraus reuersa colliditur. Herodes stridet cadens ipse in laqueum, quem tetendit. Er infrà. In altum tendens, cadit ab alto; celum pulsans, intrat profundum; in se vadit, qui vadit in Deum.* D. Cyrillus ait: *Semper persecutoribus Ecclesia conatus ipsorum in caput reciderunt; & tangunt suammet pupillam.*

Petrus  
Chrysol.  
1er. 152.

D. Cyril.  
lus in Za-  
char. II.  
14.

§. II.

*Lapis ad voluentem reuertens.*

Altera similitudo est: *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum;* quod plerique ita exponunt, vt dicant, sicut quis ex edito loco lapidem in alterius caput deucluit, vt ex turri, vel monte, vel colle, qui ad eum redeat; ita sæpe contingit, vt illa ipsa pernicijs, quam per fraudem in alios molimur, in verticem nostrum remittatur. Hanc interpretationem non nemo putat violentam, cum fingat, lapidem contra naturam suam

Prou. 26.  
27.

E

sursum

furfum redire, ac superiora loca repetere, unde exciderat. Sed non est contra naturam vim lapidis, etiam sursum resilire illi sum; quamquam non resiliat, vsq; ad verticem montis aut turris. Sicut nec illud *Ætæ* saxum, quo *Acis* adobrutus est, reuersum est ad *Polyphemum*, qui illud coniecit in fugientem. Fateor tamen posse etiam ita intelligi: *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum*, non lapis ad volentem, sed is ipse, qui eum lapidem demisit; quia vicissim & ipse è sublimi loco deuolutus in eundem lapidem incurret, & illidetur. Sic enim sæpe fit, vt is, qui è fastigio alicuius dignitatis, ad quem euectus est, inferiores & sibi subiectos percutit, aut damno aliquo afficit, pro merito suo obtineat; vt inde depulsus, aut deiectus, eadem, quæ alijs intulit, damna subire cogatur. Hac consideratione *Sesostrius* *Ægypti* rex, qui interstitium à rubro mari ad Nilum proscindere adorsus est, cum quatuor duces loco equorum, curru iunxisset, supercilium posuit. Vidit enim ex his vnum identidem ad rotas respectantem, & reuolutionum vices contemplantem; didicitque, quemadmodum in rota radij iam supra feruntur, iam ad partes inferiores deuoluuntur,

Ouid. l. 13.  
Metam,

Diodor.  
lib. 1.

tur, ita contingere inter mortales; ut illi qui hodie eminent, aliosque despiciunt, & premunt, cras ipsi quoque subsint, despiciantur, & premantur. Mihi tamen longè planior videtur tertius sensus. Neque enim necesse est, ut quando dicitur, *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum*, id intelligendum sit de lapide deorsum deuoluto; quem necesse sit sursum reuerti; sed prorsus contrario modo, de lapide, qui magna vi sursum voluitur, semperque suo pondere reuertitur ad voluentem, eumque premit, & verberat. Quod Latini ipsum significant noto illo prouerbio, *saxum voluis*, quo indicant homines inexhausto atque inutili labore fatigatos. *Satis diu jam hoc saxum voluo*, ait ille apud Comicum. Quod prouerbum censet Donatus tractum à Sisyphi fabula, saxum, apud inferos sursum ac deorsum voluentis. Verè sic *qui voluit lapidem, reuertetur ad eum*.

Terent, in  
Eunuch.

§. III.

*Quid lapis in altum missus, & lapis  
offensionis?*

Quo intellectu etiam dicitur: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet; & quò altiùs mittit, fortiùs cadet*. Seu autem lapidem mittat, seu sagittam, perinde est.

Eccli, 27  
28.

E 2

Nam